

•Si fato concederem: justus mihi dolor etiam adversus deos esset, quod me parentibus, liberis, patriae, intra juventam praemature exitu raperent. Nunc scelere Pisonis et Plancinae interceptus, ultimas preces pectoribus vestris relinquo: referatis patri ac fratri, quibus acerbitatibus dilaceratus, quibus insidiis circumventus, miserrimam vitam pessima morte finierim. Si quos spes meae, si quos propinquus sanguis, etiam quos invidia erga viventem movebat; inlacrimabunt, quondam florentem, et tot bellorum superstitem, muliebri fraude cecidisse. Erit vobis locus querendi apud Senatum, invocandi leges. Non hoc praecipuum amicorum munus est, prosequi defunctum ignavo questu; sed, quae voluerit, meminisse; quae mandaverit, exsequi. Flebunt Germanicum etiam ignoti: vindicabitis vos, si me potius, quam fortunam meam fovebatis. Ostendite populo Romano divi Augusti neptem, eandem conjugem meam: numerate sex liberos. Misericordia cum accusantibus erit: fingentibusque scelestam mandata aut non credent homines, aut non ignoscent.»

IV. ORATIO M. HORTALI.

Ex Lib. II, Annal. cap. XXVII.

M. Hortalius erat senator, et nepos Q. Hortensii, clarissimi oratoris, ex nobilissima Hortensiorum familia. Sed hic rei familiaris angustia gravissime premebatur, ut vix per inopiam ordinem suum obtinere posset. Emerserat antea pene ex summa paupertate, Augusti Caesaris liberalitate. Acceperat enim ab eo satis grandem pecuniam, et jussus erat prolem suscipere, ne ea stirps interiret. Verum quum copiosam sobolem procreasset, non satis se sustentare poterat. Itaque cum Senatus haberetur, jussit filiis pro foribus curiae adsistere, ipse C. Tiberium rogavit, ut se suosque nova liberalitate juvare vellet.